



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

De sanctissima Barbara regina, virgine & martyre, spo[n]saq[ue] Christi,
Hymnus LXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

bus ereptam, omnibus peccatis munda-
tam, tui amore ebriam, cunctis & gratijs
& virtutibus plenam tibi in sponsam
eligere dignatus es: da nobis quæsumus
vt per tua merita, perq; eiusdem sanctil-
simæ tuæ amatrix intercessionem, ab
omnibus peccatis sic perfectè mereamur
purgari, & tui dilectione feruentissima
perpetuè comburi. Qui viuus & regnas
cum Deo Patre in vnitate Spiritus san-
cti Deus, per omnia secula seculorum,
Amen.

*De sanctissima Barbara regina, virgine
& martyre, sponsaq; Christi.*

Hymnus LXVIII.

A Ve martyr gloriosa
Barbaræq; generosa
Paradisi vernans rosa,
Castitatis lilium.

Aue virgo pulchra tota,
Charitatis fonte lota,
Dulcis, mitis & deuota,
Vas virtutum omnium.

Aue criminis ignara
Sponsam audis voge clara
Veni pulchra, veni chæra,
Veni coronaberis.

Aue Barbara serena,
Pulchra quasi luna plena,
Singulari cantilena
Sponsam agnum sequeris.

Aue Barbara beata,
Quæ cum sponso præparata
Nuptiarum adoptata
Transiisti gaudia.

Aue fulgens margarita.
In corona Iesu sita,
Tam in morte quam in vita
Sis mihi propicia, Amen.

*D. Barbara regina, virginis, martyris
sponsaq; Christi Iesu, martyrium & enco-
mium paucis explicans,*

Hymnus LXIX.

B Eata nobis gaudia
Dat Barbaræ martyrium,
Quam traxit ad cœlestia

Deus creator omnium.

A Ad cœnam agni prouidi,
Inuitaris, qua refides,
Agno iunguntur nobili
Quocunque pergit, virgines.

R Rerum creator optime,
Per eam te testificas
In turris terno lumine
O lux beata Trinitas.

B Beata cuius brachijs
Saxa tacta obediunt,
Dura eius manuum imprimis
Vexilla regis prædeunt.

A Aurea luce cœlitus
Virgo ducitur carcere,
Plagæ curantur penitus,
Iam lucis orto splendore,

R Rex Christe clementissime,
Hæc passa te magnificat,
Audita benignissime
Vox vocans eam innotat.

A Audi benigne conditor
Per eam hic nos proteges,
Æternæ sis vitæ dator
Verbum sapremum prodiens, Amen.

*Eiusdem sacra virginis & martyris
sanctitatem, gaudiaq; obiter explicans,*

Hymnus LXX.

G Aude cultrix Trinitatis
Sacrae templum castitatis,
O Barbara beata.

Gaude tu quod despexisti
Patrem, ac mundum vicisti
In fide decorata.

Gaude quod Deus multauit
Illum qui te accusauit.
Ex voce reprobata

Gaude quod pro fide Christi,
Flagella sustinuiti,
Virtutibus ornata.

Gaude quod te confortauit
Christus, ac tuas curauit
Plagas virgo sacrata.

Gaude quod obtinuiti
Quæ à Deo poposcisti,
Ab ipso adamata.

Gaude